DE IVSTA

PLANTARVM INDIGENARVM IN PHARMACOPOLIIS REFORMANDIS AESTIMATIONE

PRAESIDE

D. GEORGIO RVDOLPHO BOEHMERO

ANAT. ET BOTAN. PROF. P. O. PHYS. PROVINC. ET FACVLT. MED. H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

D. XXXI. AVGVST. MDCCLXX

H. L. Q. C

DISSERET

FRIDERICVS ERDMANNVS HEMPEL

PISSEN. MERSEBVRG

MEDICINAE CANDIDATVS

VITEMBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACADEMIAE A TYPIS





§. I.

Etsi concedere debemus, medicam artem a suis incunabulis, per tot annorum secula, mirifice fuisse auctam atque locupletatam, plurimaque nobis innotuisse, veteribus plane incognita atque inaudita; negandum tamen non est, multis inde difficultatibus medicinam premi, et rerum copia partim, partim et praecipue auctorum dissensu, discentes saepissime confundi. Nolumus nunc ad singulas medicinae partes respicere, potius pro instituti nostri ratione ad medicamenta modo attendamus, et asserti veritatem comprobemus. Primis autem temporibus curtam admodum fuisse suppellectilem medicinalem, primosque medicos paucissima in aegrotorum salutem adhibuisse remedia, vel ex solo HIPPOCRATE cognoscimus. Auxit eorum numerum postea GALENVS, DIOSCORIDES, et, quae post longum temporis interuallum secuta fuit, Arabum schola; atque sic semper, praecipue ab eo tempore, quo ars nautica magis exculta, extimaeque Indorum orae, et famosa naufragiis maria immensam nouorum et antea plane incognitorum medicamentorum farragines transmiserunt, noua incrementa cepit Materia medica, vt nunc ingenti rerum copia instructi morbis debellandis auxilia ferre queant Medici. Non solum autem corporum natura-



lium, ſiue, vt dicere ſolemus, ſimplicium numerus nouis, ex terra et mari, ex omnibus vniuerſi, maxime detecti noui orbis fere angulis, allatis, laudatis probatisque inſigniter auctus fuit, ſed et partim diu cognita, partim nouiter adducta, chemicorum induſtria examinata, ſoluta, fuſa, extracta, concentrata, inter ſe et cum aliis coniuncta, iterumque ſeparata, et innumeris aliis modis in noua medicamenta mutata fuerunt; hinc Chemiae auxilio tot Aquae, Spiritus, Olea, Extracta, Sales natiui et calcinati in vſum medicum parantur, vt praeparata haec numerum ſimplicium nunc fere ſuperent. Neque his contenti fuerunt Medici, potius, quo nihil quaſi deeſſe videatur, ſimplicia varia et ſaepe plurima, immo et cum his praeparata combinarunt, et ex diuerſiſſimis corporibus vnum, ſiue ſic dictum compoſitum, confecerunt. Atque hic quidem mos primum in Graecia, poſt HIPPOCRATEM, caput extulit, poſtmodum in Arabum ſcholis maxime inoleuit, atque exinde totam rem medicam publica quadam contagione peruaſit; et cum haec omnia a Medicis perfici vix poſſent, vt compendium potius in curandis morbis obtineant, officinae [a]) pharmaceuticae conſtitutae fuerunt, in quibus omnis ille et ſimplicium, et praeparatorum, et compoſitorum apparatus conſeruetur et cuſtodiatur. Ipſa autem haec nouorum remediorum inuentio an in emolumentum an detrimentum artis ceſſerit, non difficile erit definitu. Laudanda vtique eſt maiorum noſtrorum a primis Medicinae incunabulis induſtria, quod medicaminum apparatum augendo, Machaoniae artis ſplendorem ad maius veſtigium euehere, conati fuerint; illud tamen reticendum non eſt, partim ex tam innumerabilibus, quorum virtutes ſaepe ad coelum vsque ſublatas vides, perpauca eſſe, quae et aegrotantium ſpem et expectationem ſuſtinent

a) De his elegans eſt apud PLINIVM locus. *Ex terra*, inquit, *naſcentibus nata medicina. Haec ſola naturae placuerat eſſe remedia parata vulgo, inuentu facilia, ac ſine impendio, ex quibus viuimus. Poſtea fraudes hominum et ingeniorum capturae officinas inuenere iſtas, in quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita.* Vid. Hiſt. Nat. Libr. XXIV. cap. I.

ſtinent atque tuentur, partim antiqua illa et optima remedia obliuioni tradita et inter obſoleta relata, horumque in locum alia, minus probata ſaepe, et futilia ſubſtituta, partim denique praeparationes inutiles multas, ineptasque compoſitiones plurimas in officinas [b]) introductas fuiſſe. Hinc cum vbique bona mixta ſint malis, et medicus ex tanta rerum copia et confuſione ſeſe extricare, et quaenam in medendo adhibenda, aliisque praeferenda ſint, cognoſcere difficulter admodum poſſit, ipſiusque praxeos medicae, dum ad ſingula fere luſtra modus et remedia immutantur, inconſtantia ſumma neceſſario oriri debeat, plurimi artis doctores non amplius de augenda, ſed potius de numeroſiſſimo apparatu, tot ciſtulis, capſulis, pyxidibus, vrceis, lagenis et vitris recondito, imminuendo prudentiſſimum ceperunt conſilium, atque officinarum pharmaceuticarum reformationem optarunt multi, pauciſſimis vero eandem ex voto ſucceſſiſſe, dolendum eſt.

§. 2.

Licet enim ante ſeculum nonnulli, et inter eos praecipue HELMONTIVS [c]) et LVDOVICI [d]), poſtea WEDELIVS [e]), RIVINVS [f]), aliique [g]) pharmaciam vel potius materiam medicam in progreſſu

A 3 ſuo

b) Veriſſime hinc RIVINVS: *haereo annon medicis maior ignominia quam honor, pharmacopoeis damnum maius quam lucrum, aegrotantibus nauſea potius quam deſiderium et fiducia inde naſcatur, quod quaeuis promiſcue ſine omni iudicio coacervata tam ſancte cuſtodiantur in apothecis.* Vid. Diſſ. de Medicamentorum officinal. cenſura, quae cum aliis prodiit Lipſ. 1710. p. 73.

c) In Pharmacopolio et diſpenſatorio moderno, edit. cum Ortu medicinae Amſtel. 1652. 4. p. 366.

d) In Pharmacia moderno ſeculo applicanda, edit. cum Operibus aliis Francf. M. 1712. 4. et Lipſ. 1712. 8.

e) Paſſim in ſuis ſcriptis, inprimis Pharmacia et Amoenitatibus Materiae Medicae.

f) In diſſ. cit.

g) Vt ſunt: PAVLI Diſſ. de Medicamentorum delectu, Lipſ. 1698. BRENDELII Diſſ. de vanitate complurium remediorum, Witt. 1736. SCHVLZII Diſſ. de Medicamentorum apparatu compendiario diffuſiori anteponendo Halae 1739. LINNAEI Cenſura ſimplicium in Amoenitat. Acad. Vol. IV. p. 26. qua inprimis



ſuo cohibendam, artemque, quam profitemur, grauiſſimam ab omnibus ſordibus futilibusque remediis liberandam, et quam depuratiſſimam reddendam eſſe, luculentiſſime cognouerint, et aptiſſima reformationis fundamenta poſuerint; medici tamen hac in re nondum conuenerunt, quaeque vel conſeruanda vel reiicienda eſſent, difficulter determinare potuerunt. Quemlibet ſua trahit voluntas, laudatur aliud ab his, culpatur aliud ab illis. Nihilominus vero glaciem fregiſſe praeſtantiſſimos viros atque Superiorum praeſidio ſuffultos varia atque multa ex pharmacopoliis relegaſſe, teſtantur nouiſſima diſpenſatoria, optandumque ſedulo erit, vt horum veſtigiis alii porro inſiſtant, et pro quolibet populo et regione apta, atque ab omnibus, quantum poſſibile, quisquiliis repurgata pharmacopoea conſtituatur, publicaque autoritate confirmetur. Quo in negotio ad triplicem illam medicamentorum ſpeciem praecipue attendendum erit. Compoſita, etſi non omnia, plurima tamen, commode ſatis negligunt recentiores practici, et prout compoſitiones illae nec adeo ingenioſae ſunt, quin non pares diſcipulus medicamentarii conficiat, nec de compoſitis, quae in memoriam veterum, vel recentiorum fauorem aſſeruantur, vllam ſperare praerogatiuam liceat prae illis, quae miſceri ex tempore poſſunt, medicique facile ad arbitrium formulas remediorum tam elegantes, quam efficaciores, concinnare et in morborum curatione adhibere poſſint; ita multo minus egemus Arabum aliorumque mixturis, quae inſignem ſaepe ſimplicium aliorumque praeparatorum copiam continent, quaeque vel vetuſtate corruptae omni virtute deſtituuntur, vel propter diuerſa, quae continent, ſeque ipſa quaſi deſtruunt, ingredientia nullum ſaepe, vel dubium

et

mis ea recenſuit vegetabilia, quae vel ex taberna medicamentaria excludenda, vel de nouo introducenda eſſent. ROSENII Idea Pharmacopoeae reformatae, Vpſal. 1754. CRANZII Diſſ. ergo damnanda merito in officinis multa? et alia titulo: ergo diſpenſatoria corrigenda? Vtraque Viennae 1759 habita. MEDERI Diſſ. de Medicamentis ſimplicibus, quibus officinae pharmaceuticae facile carere poſſunt. Goetting. 1760. BEIREIS *Diſſ.* de Medicamentis inanibus in medicinam peruerſis opinionibus receptis, Helmſt. 1767.

et quandoque inexpectatum effectum [h]) excitant. Illas itaque quisquilias, per haereditates vt plurimum in successorem translatas, et famosas illas, a multis tantum in vetustatis reuerentiam impensius cultas, compositiones ex officinis eliminemus; Migrent itaque integrae medicamentorum classes sub titulo Specierum, Confectionum, Pillularum, ex quibus vix vnum vel alterum a medico politiori praescribitur, immo illae praecipue compositiones, quas magnas vocabant, ob eximias, quas credebant earum virtutes veteres, quasque pene totus medicinalis apparatus ingreditur, quales sunt Theriaca et Mithridatium. Neque sic ex parte repurgato quasi Augiae stabulo simus contenti. Progrediendum quoque est ad praeparata, a chemicis inuenta, et a medentibus magno olim applausu recepta. His quidem suam praestantiam atque virtutem derogare nequaquam possumus, nihilominus vero simplicium efficaciam in praeparatis multum saepe debilitatam, immutatamque saepius deprehendimus, cumque ab industria praeparantis, rudis saepe pharmacopoei illa et eorum bonitas dependeant, frequenter medicos fallunt in exercitio artis constitutos. Quid itaque iuuabit simplicia et plantas praecipue destillare, coquere, inspissare, comburere, multisque aliis modis, ad speciem magis quam vsum excogitatis, immutare; praestat iisdem natiuis vti; ideoque plurimae destillatae Aquae, quarum hactenus vltra centum quotannis destillandae, cum decem sufficerent, Syrupi, Extracta, Salia, Feculae, Magisteria, Tincturae et s. p. relegentur merito, et horum modo efficacissima conseruentur.

§. 3.

h) De huius quidem rei veritate recentiorum forte nemo dubitabit; attamen vel solius RAMAZZINI auctoritate eandem confirmemus. Ita ille: *Dissimulare non licet, quod non raro nostra culpa fit, vt tardiora sint remedia, si malis conferantur, quam quod revera talia sint nata, dum illa ad inuicem permiscendo, confundendo corrumpimus, euiramus, ac talia reddimus, vt cum intra vitae hospitia fuerint admissa, inter se potius quam cum morbo et causa morbifica pugnam incant;* et alio loco scribit: *Equidem eo ventum erat, vt qui prolixiores et palmares remediorum formulas, scriptas et a tergo quandoque, aegris praescriberet, is vere vtramque paginam absoluisse crederetur.* Vid. Eius Opera, Geneuae 1717. edit. p. 27. et 87.



§. 3.

Non ſolum vero in his medicamentorum ſpeciebus reformatione opus habent pharmacopolia, ſed etiam ſimplicium curioſior inſtitui debet diſquiſitio. Licet enim haec naturae ſint dona, et in ſe conſiderata fere ſemper optima; tendunt namque recto, quod dicitur, greſſu ad edendum effectum, quem habent ex conſtitutione propria, phyſicum, nilque ſit, quod eorundem efficaciam aut hebetet, aut alteret, aut prorſus deſtruat; multa tamen titulo minus honeſto memorantur a medicis, et nunc alia inuſitata, exoleta alia, minus tuta et ſ. p. nominantur. Habent namque ſua quoque fata [i]) medicamenta, et quae veteres magnis encomiis laudarunt, eadem ſaepe ab aliis, nouiterque inuentis ſuperata, et e ſede ſua dimota fuerunt; hinc ſuis pyxidibus incluſa manent, inuſitata fiunt, et vetuſtate tandem ſua vere virtute priuantur, licet per ſe, et in recenti ſuo ſtatu fuerint optima. Radicem Chinae cum Cl. RAMAZZINO exempli loco adducamus: haec ab Indiis Orientalibus in Europam deducta, inter medicamenta ad morbos chronicos et contumaces propulſandos principatum obtinuit, modo pene obſoleuit illius vſus et in officinis carioſa reperitur. In diiudicandis ſimplicibus ſummam ſane difficultatem deprehendimus, cumque eadem medicorum quilibet pro ſuo arbitrio aeſtimare ſoleat, nunquam forte in his vel tolerandis, vel reiiciendis norma quaedam certa poni, et pharmacopolii ſuppellex conſtitui poterit. Ita Caſſiam e. gr. quae hodie inter praeſtantiſſima medicamina refertur, ex moderna pharmacia relegare voluit LVDOVICI [k]), Rhabarbari

i) Id, quod de omni medicina tulit iudicium citatus antea RAMAZZINVS, de remediis quoque in ſpecie valebit; Ita autem ille: *ſuos igitur manes noua quoque patitur medicina, et non pauca illius dogmata, quae multo plauſu excepta ſunt, forſan aliquando ab aula recedent, et quae exulare iuſſa fuerant, in gratiam redibunt.* Vid. Opera p. 83 Conf. etiam HOVII ſuper remediis annotationes in Comment. Societ. Scient. Harlemens. T. VI. P. II. p. 788.

k) libr. cit. edit. in 4 p. 83. et 253. De dubia Caſſiae aeſtimatione vid. quoque RAMAZZINVS in Oper. p. 750.

bari e contrario radix, [l]) per tot secula a summis medicis laudata et diuini remedii titulo ornata, nunc a nonnullis negligitur, atque ad inusitata remedia amandatur. Cortex Peruuianus iniqua, quae de eius praestantia aliquando tulerunt medici, iudicia, felicissime quidem superauit, nouisque in dies cumulatur encomiis, qualis autem sors ipsum maneat, et an eundem honorem perpetuo sit conseruaturus, posterum decernet tempus. Auguramur et huic suum aliquando interitum. Quassiae forte lignum eundem a sua dignitate remouebit, prout ille ipse Cascarillam a frequentissimo vsu detrusit. [m]) Alii porro medici non nisi benigna et mitissima [n]) amant, et dissuadent omnia fortiora remedia; solo Tartari Cremore armati ad dirum hydropem superandum accedunt, et Squillae Iridisque radicem, atque alia longe praestantiora cane peius et angue fugiunt. Mitissimam Ipecacuanham pro emesi mouenda tantum commendant, negligunt alia, inprimis ex Antimonio parata, ast Cel. HVXHAM vinum vel tincturam ex huius vitro summis laudibus extulit. [o]) Non nisi frigida et temperata extollunt alii, omniaque calida et excitantia nocentissima esse contendunt; Aeque tamen his ac illis nocere [p]) possumus in morbis;

l) Rhabarbari quoque radicem ex officinis cum Myrobalanis, Soldanella et aliis relegare voluit LVDOVICI, et loco horum Aloen et Sennam maxime commendauit libr. cit. p. 64 et 67.

m) Vtiles saepe res vel ex praeiudiciis, vel invidia, vel aliis caussis damnari et contemni, multis exemplis, si opus esset, facile comprobare possemus. Ita PAVLI Diss cit. cap. 3. omnia nauseosa et ingrata reiicienda esse asserit, et §. 3. scribit: *exulent hinc Squilla, Gummi Ammoniacum, Sagapenum, Galbanum, Sapo Venetus* et s. p. et RIVINVS Diss. cit. p. 91. Agrimoniam, Amaram dulcem, radicem Caryophyllatae, Graminis etc. inter inutilia et ignobiliora retulit.

n) Quae ALEXANDER MAGNVS apud CVRTIVM Libr. III. cap. 5. iam respuit, dicens: *Lenta remedia et segnes medicos non expetunt tempora mea, vel mori strenue, quam tarde conualescere mihi melius est.*

o) Vid. Philosophical Transactions Vol. XLVIII. Part. II. p. 832. vel Opera Auctoris, per REICHELIVM edita Lips. 1764. 8.

p) Non quidem huius loci est de hac diuersa medendi methodo disserere, attamen cum hoc tempore calida medicina damnetur a plurimis, et frigida vbique laudetur,



bis; Camphora et Nitro aliquando indigemus, et vtrumque, certo et iusto tempore datum, prodesse poterit. Sane nil prodest, quod non laedere possit idem. In tanta igitur medentium discordia, quam non modo circa medicamentorum delectum, sed et omnem medendi rationem vbique deprehendimus,[q]) quid laudandum vel vituperandum, quid retinendum, vel reiiciendum, nullo modo determinari poterit; accedit, quod partim pro diuerso morborum genio, aegrorumque constitutione et idiosyncrasia non semper eadem remedia adhibere possimus, [r]) partim hac in re vulgi opinionibus aliquid dare, et quaedam in officinis conseruare debeamus, quae nunquam a medicis praescribuntur, a rusticis autem aliisque vt polychresta desiderantur; idque non tantum de

simpli-

tur, prudentissimum monitum felicissimi Practici I. G. BRENDELII, vel in iuniorum gratiam, hic apponamus: *Vt praeternaturalis*, inquit, *sanguini inductus calor ad iustam temperiem reducatur, ne noceat, inprimis operam sedulo nauare medicum oportet; sed eundem haud minore studio decet cauere, ne vel in aliam partem delinquat, vel contra reliqua artis praecepta, aut indicationum momenta impingendo, praepostere refrigerationem moliatur, et sic, quod vna manu iuuat, altera pessumdet.* Vid. Diss. de iusta methodi refrigerantis in morbis aestimatione Goetting. 1752. et in altera Diss. de recto Calefacientium in morbis vsu, eod. anno edit. p. 27. monuit: *Motus isti, et cum iis calor febrilis aliusue non plane sufflaminandi sunt, sed potius in iusto moderamine tuendi, et, si extra orbitam ferantur, componendi, si vero depressiores sint, instigandi.*

q) Elegans est CELSI locus, quem commode hic repetamus: *Cur aliquis potius Hippocrati credat, quam Herophilo? Cur huic potius quam Asclepiadi? si rationes sequi velit, omnium videri posse non improbabiles, si curationes, ab omnibus his aegros perductos esse ad sanitatem.* Vid. Libr. I. Praef. edit. L. Bat. 1730. p. 8.

r) Iterum CELSVS hac in re sapiens dedit consilium; scil. *Alterum illud ignorari non oportet, quod non omnibus aegris eadem auxilia conueniunt. Ex quo incidit, vt alia atque alia summi auctores quasi sola venditauerint, prout cuique cesserant; oportet itaque, vbi aliquid non respondet, non tanti putare auctorem, quanti aegrum, et experiri aliud atque aliud.* Vid. Libr. III. cap. I. edit. cit. p. 112. et BOHNIVS monuit: *Instructissimi farragine medicamentorum accedimus infirmos, recedimus vacui et vani, nec sine pudore ac artis ipsius vilipendio. Quibus ita se habentibus, farraginem medicamentorum fugiat, et paucis tantum selectioribus, ac vsu comprobatis vtatur medicus, ita tamen, ne plurium, simplicium inprimis, destituatur supellectili, vt si ob quamcunque caussam, v. gr. aegri morositatem, aut si indiuidualis forsan viri reluctetur idiosyncrasia, aliud seligere adigatur, hoc mox praesto sit.* Vid. libr. de Officio Medici duplici, Lips. 1704. Part. I. cap. 21. p. 457.

ſimplicibus, ſed et ipſis compoſitis valebit. Ita Theriacam nullus medicorum deſiderabit, attamen nollem eſſe ſuaſor, vt eadem ex pharmacopolio reiiciatur; hinc vt compoſita, qualiacunque ſint, in totum deleantur, cum RIVINO s) aſſerere, haudquaquam licebit.

§. 4.

Difficultates, quae pharmaceuticae officinae reformationem concernunt, nec vlterius copioſiusque recenſere, nec illis medelam adferre volumus, attendamus modo, pro inſtituti ratione, ad ſimplicia vegetabilia, et in his diiudicandis et aeſtimandis primo omnium ad eorum patriam reſpiciendum, exotica et indigena curioſius diſquirenda, haecque illis, etſi non ſemper, plerumque tamen, longe anteponenda, haec conſeruanda, illa, quoad magnam partem releganda eſſe, exiſtimamus. Dum autem hoc monemus, minime illorum amplectimur ſententiam, qui omnia plane exotica reiiciunt, inque eorum locum mera domeſtica ſurrogant remedia; ſunt et horum nonnulla, quorum ſuccedaneum nullum in noſtris terris poſſidemus; hinc nec ex diſſitis regionibus allata ſpernere, nec, dum haec admittimus, terram noſtram nouercam obtigiſſe rerum parentem, putare debemus. Deprehenduntur ſane in his regionibus experta remedia, quae viribus ſuis exotica ſaepe antecellunt, vel ad minimum aequipollent; immo multae ſunt et ſat praegnantes cauſſae, cur nos indigena frequentius, rarius exotica adhibere poſſe, et hinc in Materia medica vel iam recepta conſeruare, vel alia et noua introducere debere, ſuadent atque poſtulant. Fuerunt praeſtantiſſimi omni tempore viri, qui domeſticas ſuas merces commendarunt, et ad earundem vſum et aeſtimationem poſteros inuitarunt. Imperitiſſimas etiam gentes herbas aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque

 noſſe,

s) Vid. Diſſ. cit. p. 127. Ita BOHNIVS quoque monuit: *nemini ſuaſor forem, vt reiiciat friuole confectionem Alkermes, Theriacam, Spiritum Theriacalem, Specificum cephalicum, Elixir Proprietatis* etc. Vid. libr. cit. p. 466.



nosse, CELSVS[t]) iam monuit, et quamlibet regionem contra morborum saeuitiem[u]) solatia praebere, domesticis naturae beneficiis, remediis praecipue, quaslibet fere regiones abundare, et sibi sufficere Galliam CAMPEGIVS[x]), Belgium BEVEROVICIVS[y]), Daniam BARTHOLINVS[z]) et BORRICHIVS[a]), Germaniam HEISTERVS[b]) non solum luculentissime ostenderunt, sed et NERONEM lege cauisse, ne medici alia, praeter ea, quae Romanus ager aleret, medicamenta, in ore et vsu haberent, ex historicis scriptoribus LENTILIVS[c]) commemorauit. Quamquam autem clarissimi hi

t) Praef. Libr. I. p. 1.

u) HELMONTIVS quidem non is Auctor est, quem hic commendare debeamus, praecipue cum Ipse multis inutilibus Materiam medicam auxerit; forte autem hinc Eius monitum eo magis aestimandum erit, dum scribit: *Raro transmarinis et ab vltimo Oriente petitis remeans vtor; sciens, quod Omnipotens fecit sanabiles omnes nationes terrae, nec aduectas Indo de littore merces expectandas voluerit, vt neque ante cognitas Indias minus mortalibus propitius Deus fuerit. Bonitas ergo diuina persuasit mihi, inquilinis morbis sua domi reperiri remedia.* Vid. Pharmacopol. cit. §. 33.

x) Vid. Hortus Gallicus pro Gallis in Gallia scriptus, in quo Gallos in Gallia omnium aegritudinum remedia reperire docet, nec medicaminibus egere peregrinis etc. Lugduni 1533. 8.

y) In Introductione ad Medicinam indigenam L. Bat. 1663. 12.

z) De Medicina Danorum domestica, Hafn. 1666. 8. Vid. et Eius Epist. de simplicibus medicamentis inquilinis cognoscendis, edita cum GRVBII Comment. de medicamentorum facultatibus, Hafn 1669. 8.

a) De vsu plantarum indigenarum in Medicina, Hafn. 1690. 4. Huc etiam spectat DETHARDINGII Diss. de Medicamentis Norwegiae sufficientibus Hafn. 1740.

b) In Diss. de Medicamentis Germaniae indigenis, Germanis sufficientibus, Helmst. 1730. Cum quo coniungi potest HOFMANNI Diss. de praestantia remediorum domesticorum, Halae 1718, in qua multum laudauit Panem, Lentem, Rapam, Allium, Raphanum, Rutam, Saluiam, Melissam, Lauendulam, Millefolium, Chamomillam et Absinthium. It. IO. GEORG. LANGII Tentamen de remediis Brunsuicensium domesticis, Bronsw. 1765. 8. et PLAZII Diss. de vulgariorum remediorum vsu non reiiciendo Lips. 1763.

c) Miscell. Medic. P. III p. 284. Quinam autem sint illi historici, neque LENTILIVS notauit, neque nos, omni data opera, plurimis ad NERONIS vitam pertinentibus voluminibus perlustratis, inuenire potuimus. Refert quidem SVETONIVS in huius Vita Cap. XVI. ab Eodem *interdictum esse, ne quid in popinis*

hi Viri patria ſua dona nimium quandoque aeſtimauerint, et exotica, minus recte, omnia vituperauerint [d]), in genere tamen veriſſimum eſt, medicum indigenorum praecipue notitiam ſibi comparare, eademque frequentiſſime in vſum adhibere debere. Dum enim aliena viuimus opera, dum alienis pharmacis vtimur, dum alienis promiſſis credimus, et nosmet ipſi decipimur medici, et ſimiliter decipimus alios. Exoticorum virtus ſaepe ſolo ex pretio aeſtimatur; quis neſcit peregrina ſaepe corrupta, frequenterque in naui ſuffocata et ſubmerſa venalia proſtare; plurima ex his auara manus adulterat; multa horum pompam oſtendunt, vſui vero non inſeruiunt; dubia ſaepe horum eſt virtus, et eorum pleraque quam cito innotuerant, pari etiam celeritate exoluerunt. Summum autem argumentum, cur indigena exoticis praeferre debeamus, nobis eſſe videtur illud, quod omnia medicamenta ſint relatiua, relatione ſcilicet nitentia quoad cauſas morbificas et indiuidua. Differunt autem et corpora et morborum cauſſae ob differentiam victus, aeris, ſoli, climatis et ſ. p. hinc bene aſſerit CELSVS [e]) *differre pro natura locorum genera medicinae, et aliud opus eſſe Romae, aliud in Aegypto, aliud in Gallia*, et PALLILIVS [f]) monuit BAGLIVIVM, *ſi Coa praecepta et remedia veſtris in regionibus minus feliciter iuuant, id climatis interuallo valde ab Attico tribue, vel contrariae medendi methodo, non*

 autem

pinis cocti praeter legumina et olera vaeniret, cum antea nullum non obſonii genus proponeretur; hanc legem, an cum priori confuderit, et ex ſpeciali generalem fecerit, in dubio relinquere debemus.

d) Qua in re multum laborauit C. S. SCHEFFEL. in Diſſ. de Exoticomania, Gryphiſw. 1733. Veriſſime hinc LVDOVICI, poſtquam exotica taxauit, addit: p. 16. *tamen qui nuper in vniuerſum omnibus domeſtica ſua ſubſtituere conati ſunt, ingenii potius acumen, aut coniecturas, quam ſeriam experientiam practicam oſtenderunt.* Conf. et GERHARDI Triga Diſſertationum, quarum ſecunda de Medicamentis a nobis negligendis.

e) Praef. Libr. I. p. 8. Ita et morbi Gallici curationem per lignum ſanctum in regionibus ſeptentrionalibus non bene ſuccedere ideo KRAGIVS exiſtimauit, quoniam in illis terris viſcoſi humores rariſſime tranſpiratione euacuentur. Vid. BARTHOLINI Ciſta Medica Hafnienſ. p. 110.

f) In Epiſtolis edit. cum BAGLIVII Operibus Antw. 1734. p. 743.



autem remediorum aut praeceptorum vanitati. Ideoque ea, quae in illa, in qua nosmet ipsi viuimus, regione habitant, et quae eodem, ac nosmet ipsi alimento et aere fruuntur, nobis etiam magis erunt appropriata et naturae nostrae quasi simillima, hinc etiam frequentiori vsu administranda et peregrinis plerumque praeferenda. Beatus, qui intelligit, bona sua domi nata.

§. 5.

Nos in plerisque nobis sufficere, nobisque in nostris ruribus ea esse salutis auxilia, quae peregrinis, si non superiora, certe non inferiora forent, nunc per exempla quaedam declarare, operae pretium erit. Radicis Ginseng et Nisi succedaneum Hepaticam nobilem, eamque plantam haud bene neglectam esse, RENEAUME[g]) asseruit, qui harum radicum virtutem in variis morbis explorauit, ast vanam vbique iactantiam inuenit; hinc et easdem non pluris aestimauit BOERHAAVIVS,[h]) quam Foeniculi dulcis radiculas, quibus hae conueniunt. Fabae Ignatii tutius, ac in eosdem vsus longe efficacius succedaneum esse Centaurium, Idem Cl. Auctor affirmauit, et pro Mungo Rutam, pro Pareira braua Aristolochiam, et pro Acmella Agrimoniam vel Betonicam commode substitui posse, existimauit.[i]) Vltimae huic pretiosae zeylanicae plantae Palatinam vel Germanicam Acmellam recte comparauit NEBELIVS[k]). Chinae radici Bardanam aequiparauit LVDOVICI[l]); huic quoque et Sassaparillae[m]) radici Saponariam praetulit Cartheuserus.[n]) Ex Pini

g) In Acad. Paris. 1718. edit. Germ. p. 135.

h) In Consultationibus p. 332. et 360. quo vltimo loco addit: *Videtur mihi odor, sapor, natura, virtus exquisite referre radices Foeniculi dulcis vel vulgaris, placet pretium, et ita diuites dimittuntur inanes.*

i) Libr. cit. p. 361. Plantam, vt videri posset, aliam Zeylanicam Acmellae nomine IDEM p. 336. et 360. memorauit, cum Acmella vero eandem esse, ipsa descriptio facile docebit.

k) In Diss. de Acmella Palatina. Heidelb. 1739.

l) Pharmac. cit. p. 103.

m) De succedaneis Sassaparillae variis egit DELIVS in *Fränckischen Samml. I. Band.* p. 119.

n) In Diss. de Saponaria Francf. 1760.

Pini et Abietis cortice vernali tempore effluens ſuccus reſinoſus non inepte Balſamo de Meccha, et in genere Terebinthina omnibus exoticis balſamis aequiparari poterit. Peruuiani ſuccedaneum in ſpecie praebere Populum albam SCHMIDELIVS[o]) docuit, qui etiam ex Populi gemmis, primo vere collectis, ope ſpiritus vini, rubicundam tincturam, pectorali vſu inſignem, hocque abſtracto, ex reſiduo optimum balſamum vulnerarium, in et externo vſu in exulceratione pulmonum, fiſtulis, partiumque tendinoſarum laeſione probatiſſimum, commendauit. Eupatorium cannabinum commode et tuto vomitum mouere, expertus docuit GESNERVS[p]) eo ſeculo, cui nondum Braſilia Ipecacuanham miſerat, et in Vlmaria aliquid latere virtutis, qua huic radici aequiparari poſſet, SCHMIDELIVS[q]) contendit. Perſorum Salab, ſit radix vel potius fructus,[r]) in noſtris quoque pratis creſcit, vel potius loco huius radices Orchidis noſtratis, ſit morio vel maſcula triuiali nomine dictae, commode ſubſtituuntur, immo praeferuntur.[ſ]) Yquetaya Braſilienſium, quae pro correctione nauſeoſi ſaporis foliorum Sennae adeo laudata fuit, vel ipſa eſt noſtra Scrophularia aquatica, vel

loco

o) Vid. Diſſ. de Oreoſelino Erlang. 1751. p. 8.

p) Vid. Epiſtolar. Medicinal. Libr. III. Tigur. 1576. 4. edit. Libr. II. p. 63. et Libr. III. p. 121. Ab inuſitatis ſeparanda et frequentiori vſu commendanda eſt huius radix et inprimis herba amara, odorata et roborante virtute praedita. Ad Cachexiam et alios morbos RAIVS in Synopſi Stirp. Britannicar. edit. Lond. 1724. p. 180. commendauit, et ob vim purgandi eximiam SABBATHI de Plantis Romanis Ferrar. 1745. 4.

q) Diſſ. de Oreoſel. p. 8. Odorem ſpirat Vlmaria fragrantiſſimum, et *miratus ſum*, ſcribit LINNAEVS Fl. Lappon. p. 159. *quod haec planta minus, quam virtus ſuaderet ab odore deſumta, reuocata fuerit ad vſus medicos; ſed forte latet anguis ſub herba, namque equi, qui famelici omnes ſine diſcrimine ingerebant herbas, hanc reliquerunt intactam.*

r) Vid. VOGELII Hiſtoria Materiae med. p. 223.

ſ) Vid. *Schwed. Acad. Abhandl.* 26 *Band* p. 251. Orchis etiam latifolia, ſiue Satyrium, ab inuſitatis ad vſus reuocanda erit; flos namque eius, nocte inprimis odoratiſſimus, Vanigliae odorem quaſi ſpirans, inuitare nos debet ad noua tentamina. Neque vana eſt, ab antiquis aſſumpta, aphrodiſiaca virtus; Tauri tardi prouocantur in venerem hac radice a Dalis.



loco eius, teste MARCHANTIO,[t]) commodissime adhiberi potest. Dictamnum creticum et Serpillum viribus inter se conuenire, eamque, quae Citri odore imbuta est, varietatem et illi et Melissae praeferendam esse, docuit GLEDITSCHIVS.[u]) Polygalam vulgarem et Dulcamarae stipites Senekae virtutes possidere, Ill. van LINNE [x]) tradidit, retulitque Senekae et Valerianae radicem combinasse, et inde praeparatam tincturam in morbis dolorosis et tabe summo cum effectu exhibuisse TENNENTIVM, hunc docuisse Valerianam omnes, vt Senekam, excretiones pellere, immo aliquid anodyni fouere. Valerianae quoque radicem Serpentariae substituendam esse, serio affirmauit GLEDITSCHIVS. [y]) Praeter haec autem vera, vt nobis videtur, succedanea, plurima alia dubia et falsa ab Auctoribus nominantur. Chinchina in Europa nulla datur, et neque Fraxini, neque Hippocastani cortex eidem debet substitui; semina farinosa, leguminosa, oleosa et quaecunque alia, etsi tostione oleum empyreumaticum, in aqua soluendum, praebent, ac Coffeae decoctum colore referunt, minime specificum saporem et virtutem, Coffeae decocto propriam, ostendunt; Cichorei quoque vstulatae radicis infusum reliquis quidem praestantius et sapidius est, attamen non Coffeae potus. Idem forte etiam de Thea dicendum, licet in huius locum facile alias, gratiori sapore praeditas, plantas substituere possimus. Verum nec de his, nec de aromatibus [z]), quatenus iisdem indigena nostra aequiparare debeamus, prolixius disserere volumus, modo de purganti-
bus

t) Acad. Paris. 1701. edit. germ. p. 769.

u) Vid. Eius *Vermischte Abhandlungen II. Theil* p. 98.

x) In Diss. de Senega inserta Amoenit. Acad Vol. II. p. 151. Polygalae vulgaris efficaciam dudum cognouit GESNERVS; huius manipulus si per noctem in vino maceratur, idque bibitur, bilem per aluum mire deiicit, nullo periculo, Eiusdem experientia. Vid. Epistolar. Libr. III. p. 121. et inter recentiores NIC. CANDON in Diss. de Polygala Viennae 1762. edit. huius et pulueris et infusi melle remixti in phthisi praestantiam renouauit.

y) *Vermischte Abhandl. III. Theil* p. 343.

z) Conf. ALBRECHTI Diss. de Aromatum exoticorum noxa et nostratium praestantia, Erford. 1740.

bus quaedam adhuc adiiciamus. Horum plurima, immo fere omnia, quae in officinis proſtant, ex peregrinis regionibus ſunt allata, poſſidemus vero plurimas indigenas plantas, hac efficacia praeditas, quarum vero virtus ideo, quia rariſſime, et non niſi a ruſticis in vſum ducuntur, nondum ſatis explorata, et ratione doſeos ſufficienter cognita exiſtit. Harum indicem non ſolum in Suecorum, ſed et noſtratium commodum congeſſit, et eleganti commentario illuſtrauit van LINNE,[a]) ex quo ſolum Rhamnum Catharcticum exempli loco adducamus, et Illuſtris Viri verba repetamus: *Baccarum ſiccarum et puluerisatarum drachmae duae purgant egregie in decocto, et locum obtinent in plurimis morbis, arthritide, cachexia, hydrope, ſiphilitide; in puluere etiam parum toſtae praeſcribuntur, et blande purgant ac perfecte, perinde ac puluis* D'AILHAVD, *atque in iisdem morbis, quibus Ailhaudianus iſte praeſcribitur. Syrupus domeſticus ſummis decantatur ipſo a* SYDENHAMIO *encomiis, atque ob frequentem vſum domeſticus audit; ad doſin vnciae vnius tam blande agit, vt etiam infantibus recens natis ad exturbandum meconium tuto propinetur, ſitim vero excitat.*[b]) Et quae de Conuoluulo ſepium eiusque radice, Scammonio, Mechoacannae, Turpeto et Sondanellae forte aequiparanda, notauit [c]), noſtram omnino attentionem merentur; neque omni probabilitate deſtituitur, quam de Violae odoratae radice, Ipecacuanhae ſuccedanea, coniecturam propoſuit[d]); Gratiolam autem Aſarumque in dyſenteria loco huius adhibendam eſſe,[e]) nullus practicorum concedet.

§. 6.

Praeter haec autem ſuccedanea, alia nobis ſunt indigena, quae a principio fere artis medicae ad hunc vsque diem aeſtimata fuerunt.

a) De Purgantibus indigenis 1766. edit. et inſerta Amoenit. Acad. Vol. VII. p. 293.
b) l. c. p. 300. c) ibid. p. 303.
d) ibid. p. 307. e) ibid. p. 307.

 

fuerunt. Singula haec rimari atque iam recenſere, non fert inſtituti ratio; vulgatiſſimorum modo nonnulla, ex quibus indigenorum praeſtantia, et hinc in multis morbis curandis exoticorum vſus ſuperfluus facillime et clariſſime elucefcit, in memoriam reuocemus et exempli loco adducamus. Inter arbores noſtrates maxime eminet Sambucus et Iuniperus; in priori, communi fere medentium conſenſu; inprimis monente BARTHOLINO *f*) et HOFFMANNO *g*), plus medicinae latet, et tutior ineſt omni tempore ſalubritas, quam in pompoſis antidotis; et Iuniperus tota medicamentoſa eſt, quia tota balſamica; Lignum eius efficacia non cedit lignis illis exoticis, et baccarum virtus non inferior; aquam, ex illis cohobatione paratam, in hydrope curando promtiſſimam laudauit BOERHAAVE *h*), et inde paratum Roob *i*) eundem vſum certiſſime exercere ſolet; praeterea propter ſtomachicam, carminatiuam, pectoralem et vterinam virtutem viliſſimos hoſce fructus inter efficaciſſima et plane eximia remedia retulit CARTHEVSERVS *k*). Ex radicum numeroſa ſuppellectile in deſertis et ruderibus creſcentem Bardanam et Taraxacum nunquam ſatis laudibus extollere valemus. Illius quidem vſus ſuſpectus videri poſſet, dum SCOPOLIVS *l*) ex decocti diuturno vſu puellam, toto corpore contractam, obſeruauerit, et hinc noxium aliquid, hanc neruorum tenſionem producens, plantae forte ineſſe aſſeruerit; attamen fallacia cauſae hic certiſſime ſubeſt. Nemo enim practicorum eiusmodi nociuum effectum obſeruauit, potius fere omnes demulcentem et reſoluentem virtutem eidem ineſſe affirmarunt, et nosmet ipſi frequen-

f) In Medic Danor. domeſt. p. 26.

g) Diſſ. cit. de Remed. domeſt.

h) Vid. Chemiae Tom II. edit. Lugd. Bat 1732. p. 77.

i) Inprimis ſi ea methodo praeparatur, qua TOZZETTIVS vſus fuit: ſcil. *baccas maturas in aqua decoxit, pulpam per ſetaceum transmiſit, et lento igne inſpiſſatam in vaſe repoſuit, cuius poſtea ſuperficies cruſta ſaccharina quaſi obducta fuit. Roob ita paratum eximii vſus, ſuauius quam vulgare, odore minus acuto, et proinde neruos minus ſtimulans dicitur.* Vid. Eius Hort. Florent. p. 146. Alium praeparationis modum recenſuit KALMIVS *Reiſebeſchreib. I. Band* p. 25.

k) Mat. Med. Tom. II. p. 336.

l) In Flora Carniolica p. 354.

quentiſſime et copioſiſſime eandem in obſtructione viſcerum, praecipue glandularum meſaraicarum in infantibus, nec non in ſcabie, aliisque ſanguinis impuritatibus, praeſtantiſſimo cum effectu, vti ſolemus. Eiusdem etiam in lue venerea, arthritide et calculo praeſtantiam, et quod de ſaluberrima eius virtute nos maxime conuincit, vrinam inde coenoſam redditam cognouerunt FERNELIVS [m]) et BAGLIVIVS [n]). Podagricis doloribus ſaepe vexatus HILLIVS, a nullo remedio plus leuaminis expertus fuit, quam Bardanae decocto [o]). Taraxaci radicem minus quidem agilium partium ſuppeditare, et herbam eam ſuperare, oſtendit DELIVS [p]); aſt cum nunquam deſint radicalia folia, et per totum fere annum integra haberi poſſit planta, facile Cel. huius Viri conſilium ſequi, et recentem plantam, radicem ac folia, adhibere poſſumus. Huius ſuccus lacteus, nec acris, nec dulcis, egregie coagula diſſoluit, et fibras, ad nouas in fluida actiones, ſollicitat. An aqua, fermentatione parata, praeſtantior ſit ſucco expreſſo, in dubio relinquimus. Taraxaco congeneres plantae, ſiue illae, quae florem ex lingulatis floſculis compoſitum gerunt, plurimae, vt ſunt Endiuia, Cichoreum, Tragopogon, Sonchus, Lactuca [q]) virtutibus ſane conueniunt; [r]) immo cum his aliae ex indigenis, praecipue

 Sapo-

m) Vid. Therapeutic. Libr. VII. Hanou. 1610. edit. p. 137.

n) In Operib. cit. p. 98.

o) Vid. The management of the gout with the virtues of Burdock, Londini reiteratis vicibus edit. Conf. *Götting. Gel. Anzeig.* 1759. 143 *Stück.* Ad dolores rheumaticos pertinaciores ſequens remedium commendauit RAZOVX: ſumatur rad. Bard. recent. ſeſquiuncia, et ex libra dimidia aquae fontanae ad conſumtionem dimidiae partis coquatur, ita in pultem quaſi redacta, addatur mellis deſpumati vncia dimidia, et cum aequali parte lactis Vaccini, recens emulcti, miſceatur. Vid. Eius Tables Noſologiques Baſil. 1767. p. 256.

p) Vid. Diſſ. de Taraxaco, Erl. 1754.

q) Lactucam praeterea pro aluo emollienda frequenter commendauit antiquitas, eademque AVGVSTVM, MVSAE prudentia, conſeruatum fuiſſe, nemini ignotum erit. Inter recentiores in eius laudem multa congeſſit STENZELIVS Progr. de herculeis minus herculeorum virtutibus. Witteb. 1745.

r) Harum plurium, patriarum inprimis plantarum praeſtantiam, egregie expoſuit Ill. van SWIETEN; Verba Eius in Commilitonum gratiam repetamus: *Omnium*



Saponariae[s]) et Graminis,[t]) canini dicti, radix comparari poterit. Si vero fortiorem ex radicibus nostratibus desideramus medicinam, plures in promtu habemus, quarum autem multae, prout iterum charactere botanico conueniunt, ita et eandem virtutem exercent, hinc vnam vel alteram modo eligere, reliquas autem spernere possemus. Sunt scilicet vmbellatarum radices Imperatoria, Leuisticum, Angelica, atque cum his, licet externo habitu diuersae, comparandae aliae, Vincetoxicum, Helenium, Carlina, Petasitis etc. Harum instar omnium merito aestimarunt practici Pimpinellam. Inter vulgatissimas herbas, quarum praecipue folia in vsum veniunt, Fumaria, Trifolium fibrinum, et Beccabunga triumuiratum fere tenent. Priorem saluberrimam herbam optimo iure dixit HOFFMANNVS,[u]) eiusque et reliquarum succo, inprimis recens

um maxime et summo quidem iure laudari solent decocta ex herbis illis amaris lactescentibus, quae et frigidae dicuntur, quia nunquam calorem augent, licet magna etiam copia sumantur, et potentissima soluendi vi pollent. Omnibus illis leuis amaror inest, omnes vulneratae lacteum succum, sed leuiter amarum et aromaticum fundunt, qui succus omnia fere cognita remedia vi soluente superat, neque interim, dum agit, vllas turbas in corpore excitat, vnde tanti vsus sunt in acutis, aeque quam in chronicis morbis. Sic pessimum illud atrae bilis viscidum nunquam tutius, nunquam felicius soluitur, quam pertinaci harum herbarum vsu; simul his plantis videtur inesse leuis anodyna vis, sed tuta, neque vnquam noxia, licet etiam magna copia vsurpentur. vid. Comment. in BOERHAAVII Aphorism. T. II. p. 165.

s) Conf. CARTHEVSERI Diss. cit. de Saponaria.

t) Multum valere in morbis hanc radicem multiplici experientia cognouimus, attamen in laudibus eiusdem nimium fuisse KNIPHOFIVM facile concedimus. Vid. Eius Diss. de Gramine leuidensi et praecellentissimo, Erford. 1747. Virtutem anthelminticam proprie nullam possidere facile, inane vero medicamentum esse, nunquam concedimus. Vid. BEIREIS Diss. cit. §. 22. p. 58. Ex multis, quae adducere possemus, et radicis huius virtutem egregie probant, testimoniis, duo saltem annotemus. Inspissatum radicis succum Mannae proprietates et vsum habere, eamque optimum vaccis, praecipue grauidis, pabulum praebere GLEDITSCHIVS monuit loc. cit. Calculos, hiemali tempore in boum corporibus natos, vernali tempore iterum resoluere LOESECKE asserit, eiusque salutarem vsum in proprio corpore expertum esse retulit. Vid. *Abhandl. der auserlesensten Arzneymittel* p. 265.

u) De Remed domest. p. 31. Trifolium siue Menyanthes dum coquitur, sit recens vel exsiccatum, gratissimum spirat odorem, illi fere similem, quem Lupulus, cum cereuisia

recens expreſſo, in omnibus morbis chronicis, praeſertim in obſtructione et infarctu viſcerum, nec non in depuranda humorum maſſa, ſolidorumque tono reſtituendo vix datur praeſtantior herba. Ex multis denique, quae in noſtris pratis vbique habitant, et florendi maxime tempore egregias vires exercent, tres alias adhuc nominemus. Prima ſit Hedera terreſtris, quae, bene monente CARTHEVSERO,[x]) principia valde actiua et praeſtantiora omnino, quam vulgo creditur, in naturali mixtione fouet, et hinc in variis morbis optime conducit; notamus nunc modo ſuccum expreſſum in cephalalgia inueterata, remedium, vt RAIVS[y]) ſcribit, auro aequiparandum praebere, et ſi etiam eandem non radicitus expellit, multum tamen minuit, teſte SEGVIERIO.[z]) Millefolii herbam et flores in compeſcendis ſpaſmodicis affectibus vix vlli alii

 reme-

cereuiſia coctus, excitare ſolet, hinc etiam loco huius ad eandem condiendam a multis commendatur. Et cum Lupuli ſaepe annona occurrat, cum hac, copioſiſſime creſcente multumque luxuriante, planta, tentamina eſſent inſtituenda. Animalibus domeſticis, Ouibus inprimis, ſaluberrimum praebet alimentum. Neque cedet ipſi Abſinthio Trifolium, licet prioris ſalem multis encomiis laudauerit IAC. GRAINGER, ſcripſeritque praeter Corticem peruuianum et Mercurium dulcem ſe efficacius remedium non cognouiſſe, modo iuſta doſi ad ſcrupulum et drachmam propinetur. Vid. Eius Hiſtoria febris anomalae Batauae, Edinburgi 1753. et recuſ. Altenb. p. 137. Trifolio huic analoga quoque eſt Beccabunga, a veterinariis etiam multum aeſtimata, modo virtute magis cum Naſturtio conuenit, huic autem propter mitiorem vim merito praeferenda. Succum eius expreſſum, externe applicatum, vt ſpecificum, in carcinomate commendauit KANNEGIESSER in Nou. Act. Nat. Cur. Tom. I. p. 163.

x) Mat. Med. Part. II. p. 435. Non poſſumus non, quin GLEDITSCHIVM, de hac planta differentem, introducamus. Ita ille: *Iſt eines der vortrefflichſten Arzneygewaechſe von Deutſchland, welchem bey ſeiner ausnehmenden Eigenſchaft und Würkſamkeit weiter nichts fehlet, als daß es nicht aus Oſtindien kömmt, und theuer bezahlet werden muſs. Sein Geruch iſt ſchwer, unangenehm, balſamiſch, der Geſchmack bitterlich und måſsig ſcharf. Es iſt eine der geſundeſten Pflanzen zum Futter für die Schaafe, verwahret das geſunde Vieh vor der Schwaeche und Verſtopfung der Eingeweide, folglich gegen die Raeude, Geſchwulſt, und Faeule* etc. Vid. libr. cit. III. *Theil* p. 347. Doliis immittitur ad clarificandam cereuiſiam ab Anglis, et loco Mori pabulum Phalaenae, quae triuiali nomine bombyx mori dicitur, praebere, docuit IVSTI Goetting. Policeynachricht 1757. p. 23.

y) Sylloge cit. p. 244.

z) Plantar. Veronenſ. Tom. I. p. 305.



remedio efficacia cedere, multi, HOFFMANNO [a]) quasi duce, affirmarunt, eiusque infusum vel decoctum contra haemoptysin, haemorrhoides, et praecipue rheumatismum in Norwegia probatissimum esse, GVNNERVS [b]) retulit; et aquam, fermentatione paratam, sedatiua virtute pollere, et in nephriticorum vomitu sine pari esse, expertus docuit ROSENIVS. [c]) Chamomillae denique flores intestinis amicissimos esse, plurimasque virtutes [d]) possidere, facile consentiunt omnes; vnicam modo memoremus, ex qua praestantiam eorundum luculentissime cognoscimus. Aqua vel decoctum specificum constituit antifebrile, hancque virtutem non modo veteres, sed et recentiorum multi cognouerunt, immo prostant historiae de intermittentibus, quae Chinae corticis efficaciam eluserunt, hac autem medicina felicissime profligatae fuerunt [e]). Par illud nobile plantarum vel ideo quoque nostram considerationem meretur, quod ex floribus destillatione oleum obtinemus, colore sapphirino ab aliis, forte omnibus, oleis diuersissimum. Fragarum

a) Diss. de Remed. domest. p. 29. Vid. quoque Eius Diss. de Millefolio Hal. 1719. edit. qua inter alias virtutes etiam consolidantem in laesionibus et exulcerationibus internarum partium et in phthisi maxime egregium extollit. Conf. etiam VOGELII Hist. Mat. Med. p. 70. Extractum, ex hac planta diuersum, aquosum, spirituosum, et mixtum siue aquoso spirituosum parandum suadet POERNERVS, quorum prius lenem resoluentem, cum roborante coniunctam, simulque abstergentem, consolidantem et condensantem, alterum roborantem, exsiccantem et balsamicam, tertium vim lenissimam resoluentem cum roborante et balsamica coniunctam, habere ostendit. Vid. Eius Pharmaciae delineatio Lips. 1764. p. 186.

b) Flor. Norweg. p. 71.

c) In Examine aquarum destillatarum Vpsal. 1743. p. 17.

d) Conf. VOGELII Hist. Mat. Med. p. 144. vbi etiam notata fuit eius antiseptica virtus, per PRINGLII experimenta confirmata.

e) Conf. MORTON de Morbis vniuersalibus edit. Operum Amstel. 1696. 8. Tom. II. p. 64. HOFFMANN de Remed. domest. p. 29. HEISTER de Medic. Germ. p. 13. BOERHAAVII Chem. cit. Tom. II. p. 77. De pertinaci quartana, quae per 36 menses contra omnem medicorum industriam restiterat, floribus Chamomillae tandem expugnata, historiam refert SCHVLZIVS in diss. de Febrium intermitt. curat. antiquis p. 10. Nec desunt forte alia inquilina febrifuga, inprimis notari meretur Chamaedrys, qua Aegyptii frequentissime vtuntur, teste ALPINO in Medicina Aegyptiorum L. Bat. 1718. edit. Libr. IV. p. 316. Conf. et SEGVIER Plant. Veronens. Tom. I. p. 319.

garum baccas, quae et coloris iucunditate, et ſaporis ac odoris gratia ſeſe omnibus commendant, nunquam et ratione virtutis ſatis extollere poſſumus. Easdem, magna licet copia ingeſtas, nunquam nocere, LVDOVICI f) et alii experti affirmarunt; vſum copioſum et ſalutarem in hecticis et tabidis ſua experientia confirmauit SCHVLZIVS g); lithontripticam vim, a GESNERO h) ante duo fere ſecula praedicatam, denuo LINNAEVS i) reſtituit, qui et Ipſe hac medicina a podagra perfecte liberatus fuit; et maniacorum, largiſſimo earum vſu, et inde excitata tandem Diarrhoea curatorum, hiſtorias fideliter recenſuit Ill. van SWIETEN. k) Salutarem quoque foliis vim ineſſe, eademque optimum praebere Theae ſuccedaneum, nuper accepimus l).

§. 7.

Multa porro ex indigenis, ab antiquiſſimo tempore laudata, ſenſim, praecipue ob nimiam copiam et nouorum exoticorumque aeſtimationem, in deſuetudinem abierunt, et ex medentium negligentia ad obſoletas merces relata fuerunt. Horum nonnulla nouis denuo experimentis perluſtremus, ipſisque priſtinum honorem reſtituamus. Peucedani radix, qualis in officinis aſſeruatur, exſiccata eſt, carioſa et deprauata, hinc nullius vſus, et ad exoletas relata; ſi vero eadem, vt DIOSCORIDES m) iam monuit, recens, minime carioſa, ſolida, odoris plena eligitur, efficaciſſima erit; recens namque vulnerata radix flauum gummi reſinoſum, graueolentem emittit liquorem, eumque Ammoniaco, Galbano, aliisque

f) Pharmac. cit. p. 180. copioſius aſſumtos fructus caput tentare et inebriare, contra omnem experientiam, ſcripſit CAESALPINVS de Plantis Libr. XIV. cap. 18. pag. 554.

g) In Diſſ. de Fructibus horraeis p. 13.

h) In Epiſtol. Libr. III. p. 92. b.

i) Vid. Floram Suecicam edit. II. p. 175.

k) Comment. cit. To. III. p. 480.

l) Vid. *Wittenberg. Wochenblatt* 1769.

m) Mat. Med. Libr. III. cap. 92.



que eiusmodi gummatibus exoticis aequiparandum, et in obstructionibus viscerum, a materia crassa, viscida et lenta oriundis, efficacissimum, aliisque multis in morbis praestantissimum esse, luculentissime exposuit DELIVS. n) Lapathi et acuti, et sanguinei, herbae Britannicae, et Rhabarbari monachorum radices, seorsim in officinis asseruatae, et a veteribus maximopere aestimatae, postea neglectae fuerunt. Inest autem omnibus forte Lapathi speciebus egregia virtus, et licet recentiorum laudes ad exoticas species praecipue pertineant, tamen nostrates quoque, scilicet Lapathum acutum, crispum et aquaticum, quod vltimum forte ipsa erit Britannnica, et a Virginiana specie, quam LINNAEVS eo triuiali nomine appellauit, non multum differt, eadem efficacia pollent. Ita Rumicis siue Lapathi crispi radicem contra scabiem a Tranoensibus externe applicari et in decocto propinari, illudque etiam in ictero valere, GVNNERVS o) retulit, aliam, forte aquaticae, radicem in quartana non sine successu optimo adhibuit BAECKIVS p), eademque aeque ac Virginiana Britannica q) vlcera cacoethica sanabit. Marrubium, inusitata planta, in foliis non tantum actiuam fixam, resinoso-gummosam substantiam in naturali mixtione fouet, sed etiam subtile et mobilissimum spirituosum principium continet, atque hinc in vsum merito reuocauit CARTHEVSERVS, eidemque abstergentem, irritantem, aperitiuam, pecto-

n) In Diss. de Peucedano germanico Erlang. 1753.

o) Flor. Norweg. 23.

p) Vid. *Schwed. Acad. Abhandl.* 17 *Band* p. 27.

q) Huius virtutis notitiam debemus Cel. COLDENIO, qui ipse ita refert: *Haec planta est secretum magnum nostris indigenis, ad vlcera phagedaenica, ad quod Christianis reuelandum quocunque pretio allici non potuerint, sed felici casu detectum. Eo enim vidi vlcus palati phagedaenicum, in quo os palati peresum erat, cum successu inopinato, curatum, lauando solum modo vlcus decocto radicis, et haustu eius quotidie exhibito.* Vid. LINNAEI Amoenit. Vol. IV. p. 522. LINNAEVS quoque vel Eius Respondens Diss. de Censura simpl. scribit: *Britannicae radix, iuxta aquas crescens* (hinc forte intelligit nostram aquaticam speciem) *in vlceribus cacoethicis specifica per totum regnum hodie cognita et approbata, virtute eiusdem a Praeside demonstrata*, vid. libr. cit. p. 38. Lapathi acuti radicem in tinctoria arte aestimauit HELLOT, conf. Stutgard. Sel. phys. Oecon. I *Band* p. 508.

pectoralem, diureticam, et emmenagogam virtutem tribuit r). Laetamur de prouentu plantae, per longius temporis spatium exoletae, ast a FEHRIO, STAHLIO, praecipue BÜCHNERO s) restitutae. Arnica haec est, panaceae lapsorum titulo merito ornata; sua enim stimulante et resoluente virtute in sanguinem stagnantem et extrauasatum efficacissime agit, eundemque feliciter dissoluit. Betonica, quam ad septem et quadraginta morbos commendauerat ANT. MVSA t), ad languida et minoris efficaciae remedia nunc a plerisque referri solet; est vero omni sua parte nobilis, eiusque cephalicam virtutem non imaginariam, sed realem esse, firmandisque neruis idoneam, acrem vero, et radicem recentem aluum, folia sternutationem mouere, denuo docuit SCOPOLI u). Quam simpliciter Polychrestum CORDVS x) dixerat, dein autem Oreoselini nomine receperant officinae planta eadem experta fuit fata, nec dum hodie pristino honori restituta. Apud plures enim recentiorum, qui de Materia medica ediderunt commentaria, altum est de eadem silentium, et nisi LOESECKE y) et inprimis SCHMIDELIVS eius patrocinium suscepissent, forte diu adhuc inter obsoletas mansisset. Resoluentem, praecipue diureticam, et lenem diaphoreticam, cum tonica coniunctam, in omnibus plantae partibus, per instituta experimenta, luculenter demonstrauit Celeberrimus hic Practicus; z) et licet semen odore suo, nares acriter ferente, et sapore graui, corticum Auran-

r) In Diss. de Marrubio albo et Alchimilla Francf. 1753. decoctum eius, sanguini admixtum, eundem magis rubicundum et fluidum reddit, quam affusus Spiritus Salis ammoniaci. Vid. SCHWENCKII Haematologia p. 187.

s) Vid. Diss. de principiis et effectibus Arnicae, Erford. 1741. qua in compendio omnia legimus, quae de eadem planta alii scripserunt. Conf. CARTHEVSERI Mat. Med. P. I. p. 419. In sugillationibus quoque, externa vi animalibus illatis, decoctum Arnicae egregie prodesse, testatur SCHREBERVS *in der Sammlung vermischter Schriften I Theil* p. 225.

t) Liber Ipsi tribuitur de herba Betonica, qui cum PLINIO VALERIANO Basil. 1528. fol. et dein cum aliis editus fuit.

u) Flora Carniol. p. 462.

x) Plantar. Libr. II. cap. 125. p. 155. b)

y) libr. cit. p. 187. z) Diss. cit. de Oreoselino.



Aurantiorum non abſimili, nec non radix, quae recenter diſſecta, ſuccum lacteſcentem ſubamarum, in reſinam ex rufo aureum et perlucentem concreſcentem, fundit, multum vtilitatis promittant, folia tamen eius ampla, pediculis vndique ad angulum rectum reflexis, tanquam ſingulari charactere notata, reliquis partibus praeferre ideo volumus, quia minus calorem ſanguinis augent, eorumque infuſum, palato gratum, et ſapore ac odore corticis Citri quaſi imbutum, cum voluptate aſſumitur, neque facile, vt aliae theiformes potiones, debilitatem producit, potius ventriculi tonum magis reſtituat. Commendamus Commilitonibus herbam, cuius magnam copiam quotannis in aegrorum commoda conſumimus, et in multis morbis efficacem deprehendimus. Ex aromaticis herbis plures nominare poſſemus, quarum rarior eſſe ſolet vſus. De Mentha nuperrime conqueſtus eſt Ill. van LINNE [a]) *hodie, quam prouti oportet, parcius exhibita;* neque propterea, quod vel malam plantam veterum multi dixerunt, vel ARISTOTELES [b]) *mentham in bello nec ſerito nec edito, monuerat*, et eo ipſo generationi contrariam facultatem quaſi probauerat, illam negligamus, potius ob aliam, veteribus Geoponicorum Scriptoribus [c]) iam notiſſimam virtutem, qua lacti immiſſa prohibet, quo minus coeat, concreſcatue, maximi aeſtimemus. Vel ex ſola hac proprietate ſingularem, et fere ſine pari plantam facile cognoſcimus, vt hinc LINNAEO gratiae agendae ſint, quod eandem, eiusque egregias virtutes reſoluentes, neruinas, antaphrodiſiacas [d]) partim in memoriam reuocare, et ab interitu vindicare, partim nouis argumentis corroborare voluerit. Sedum maius et minus haud iuſto aeſtimatur pretio a medentibus; acre ſic dictum inprimis frequentiori vſu commen-

a) In Diſſ. de Mentha, inſerta Amoenit. Acad. Vol. VII. p. 282.

b) Problemat. 2. Sect. 20.

c) libr. XII. cap. 24.

d) Vel vt in fine diſſertationis ſcripſit: *hinc patet egregius Menthae vſus in hyſteria, colica, menorrhagia, bubonibus mammarum, leucorrhoea, ſurditate, calculo, aſthmate, vomitu, tuſſi conuulſiua, et quod humores ſoluit, lactis coagulationem impediat, emmenagogum ſit, ſtomachicum, ructans, antaphrodiſiacum, vulneribus noxium et ſomnum arcens.*

mendandum erit; intus enim datum egregium eſt emeticum, [e]) eiusque decoctum, cum lacte vel cereuiſia paratum, ſcorbuticis inſeruire, dudum BORRICHIVS [f]) et nuper GVNNERVS [g]) comprobarunt. Nec Branca urſina, ſiue Sphondylium partim propter vſum in plica polonica experientia confirmatum, partim ob variam et multiplicem apud Kamſchadalenſes [h]) vtilitatem, debet à nobis negligi, eiusque memoriam bene reuocauit CARTHEVSERVS [i]). Alchimillam in infuſo vinoſo commendauit, idemque in intermittentibus eandem, ac Chinae corticem fere efficaciam praeſtantiamque habere, aſſerit GLEDITSCHIVS [k]). Inter eas denique plantas, quarum virtutem dubiam crediderunt, et hinc neglexerunt recentiores, merito adhuc notari debet Anagallis, cuius efficaciam contra venenatum canis rabidi morſum nuper fide dignis teſtimoniis confirmarunt BRVCHIVS [l]) et SCHRADERVS [m]). Eandem quoque vim Aſperulae odoratae, iuſto minus aeſtimatae, ineſſe, recentio-

 rum

e) Idem teſtatur BELOW in Ephemerid. Nat. Cur. Dec. II. an. 6. et 7. p. 49. et confirmatur a BOERHAAVIO in Hiſt. Plantar. p. 369. et LINNAEO *in der Weſtgothiſchen Reiſe.*

f) De vſu plantar. indigenar. p. 54.

g) Flor. Norweg. 60.

h) Conf. *Stralſundiſches Magazin* 2 *St.* p. 168.

i) Diſſ. de Branca vrſina, Francf. 1761.

k) *Vermiſchte Abhandl. III. Theil* p. 348.

l) In Diſſ. de Anagallide Argent. 1758. Qui etiam monuit, huius ſaporem ad radicem Senekam proxime accedere, licet huius vis in gummoſis, Anagallidis in reſinoſis partibus haereat; praeterea retulit, ob eximiam plantae virtutem in Ducatu Bipontino et per totum Bambergenſem Principatum publico mandato iuſſum eſſe, Anagallidem quotannis colligi, vt ſufficiens ſemper quantitas in quauis villa aſſeruetur.

m) Vid. Diſſ. de Anagallide, Halae 1760. Eius quoque virtutem partim in hominibus, ſingulari exemplo comprobauit, partim in Vertigine aliisque ſimilibus Ouium morbis expoſuit SCHREBERVS Collect. cit. Tom. II. p. 317. et Tom. VIII. p. 424. Dubitat vero adhuc de virtute Anagallidis BEIREIS et ſcribit: *Videamus, ne inania ſequamur aetatis Helmontii Somniis adſentantis et indulgentis temere purpureo colori, cuius nomine vbique gentium celebratur; audent inconſulti rabioſi canis morſum inde ſanare*, etc. vid. Diſſ. cit. p. 45.

 

rum nonnulli cum GLEDITSCHIO [n]) declararunt. Inter flores, ad obſoletorum claſſes relatos, notari debet Cyanus ſegetum. Ineſſe autem iisdem peculiarem mixtionem, et inde acquiſitum, Vltramarino ſimile pigmenti praeparatum [o]), et HOFFMANNI auctoritas declarat, qui florum decoctum in vrinae ſuppreſſione laudauit, et ad eius fluxum promouendum nil potentius dari affirmauit [p]). Parum hisce floribus ipſimet confidimus, repetita vero experientia, infuſum florum pro aluo laxanda [q]) vtiliſſime adhibitum fuiſſe, cognouimus. Viridis ille, qui Iuglandis nuces recentes inuoluit, cortex laudatus fuit ab antiquis. Cur Roob inde paratum, a GALENO [r]) memoratum et magnae virtutis ad faucium phlegmonem tollendam laudatum, neglectum fuit? Magna illius certe eſt efficacia, et aquam, ex nucibus viridibus paratam, in intermittentibus SORIANVS [ſ]), et decoctum expertae virtutis ad luem veneream perdomandam RAMAZINVS [t]) laudarunt. Ne vero in his recenſendis nimis prolixiores ſimus, multas alias, perperam hactenus neglectas plantas, lubenter tacemus, et vnicam modo adhuc commemoremus. Eſt illa Thymelaea ſiue Daphne mezereum. Huius baccae, Cocci gnidii nomine notae, merito ex officinis praeſcribuntur, corticem vero eo magis debemus aeſtimare, cum non ſolum eundem externe contra ſpaſmos applicare ſoleant Dalenſes [u]), ſed etiam ſecundum RÜSSELII [x]) experientiam eius decoctum in venereis

n) libr. cit. II. *Theil* p. 159.

o) Vid. *Univerſal-Magazin* 1752. p. 220. vel ex hoc germanice *im allgemeinen Magazin IV. Theil* p. 237.

p) De Remed. domeſt. p. 35.

q) Eundem effectum ſeminibus tribuit PONTEDERA in Diſſertatt. cum Anthologia edit. p. 210. Aſt Cyani floribus nos commode carere poſſe aſſerit LINNAEVS Amoenit. Vol. IV. p. 32. et BEIREIS loc. cit. p. 48.

r) De Compoſitione Medicamentor. Libr. VI. cap. I.

ſ) In Experimentis medicis, Madriti 1599 8.

t) Conf. Opera p. 143. et BAGLIVII Prax. Med. Libr. II. c. 9. edit. Oper. p. 207.

u) Vid. GVNNERI Flor. Norweg. 18.

x) Conf. *Mediciniſche Bemerkungen der Aertzte in London, III. Band* p. 261. Corticem vero exulcerationem externam corporis efficere BARBEIRAC in Formul. p. 451. aſſeruit.

nereis' ossium tophis salutarem effectum exerceat, idemque nec nauseosum saporem habeat, nec alia incommoda excitet, modo iusta adhibeatur copia et dosi.

§. 8.

Ex his itaque, quae §. 6. et 7. notauimus, exemplis, clarissime apparet, neutiquam nobis deesse polychresta indigena medicamenta, modo, vt PLINIVS [y]) verissime scripsit, *ita comparatam esse naturam, vt proximorum incuriosi, longinqua sectemur; seu quod omnium rerum cupido languescit, cum facilis occasio est; seu quod differimus tanquam saepe visuri, quod datur videre, quoties velis cernere.* Verum non solum de his, quas a veteribus accepimus, medicatis plantis indigenis rite aestimandis et conseruandis debemus esse solliciti, sed et omnes domesticas diuitias perlustrare, et an non alia supersint polychresta pharmaca, quibus officinas nostras locupletare possimus, omni studio elaborandum erit. Idem a variis recentissimo tempore factum esse, et exotica aeque ac indigena noua remedia nos accepisse, neminem quidem fugit, iuuabit tamen et horum nonnulla speciatim nunc recensere, et occasionem praebere, in indigenarum virtutes vlterius inquirendi. Rebus in exiguis commoda multa latere, imperfectae sic dictae plantae, Musci et Lichenes maxime, luculenter declarant. Praeter parietinum et candelarium, contra icterum laudatos [z]), notari meretur Lichen aphthosus, a virtute ita dictus, cuius vero decoctum quoque vomitum et aluum mouere, simulque anthelminticam virtutem exercere, tradidit van LINNE [a]); nec non cinereus terrestris, ex quo et pipere nigro compositus fuit ille pulnis antilyssus, a Societate Regia Anglicana, postquam a DAMPIERII familia arcanum acceperat, liberaliter descriptus, et in sola forte Pharmaco-

y) Libr. VIII. epist. 20.
z) Vid. GVNNERI Fl. Norweg. 75 et 103.
a) In Diss. de Purgant. indigenis. Vid. Amoenit. Vol. VII. p. 305.



macopoea Londinensi receptus. Laudauit huius virtutem in hydrophobia auertenda MEADIUS, [b]) et licet eandem dubiam reddiderit, et an non piperi potius, vel simul adhibendo balneo, maior pars tribuenda, monuerit van SWIETEN [c]), subtilem tamen eius et penetrantem acredinem per experimenta stabiliuit CARTHEUSERUS [d]). Inter gramina et adfines plantas Carex arenaria notari debet, quae radicem habet vndique repentem et luxuriantem, odore balsamico terebinthinacio praeditam, eamque, et inprimis eius extractum, variis menstruis paratum, GLEDITSCHIUS [e]) multum aestimauit, eandemque loco Sassaparillae frequenti vsu adhibitam fuisse, retulit. Solani, Dulcamara dicti, radix, a nonnullis quidem medicis aestimata, et contra varios morbos commendata fuit [f]), in huius autem locum aliam plantae huius partem, stipites scilicet, substituere, et ita nouo remedio tabernas nostras augere debebimus; quippe quorum infusum, vt LINNAEUS quoque docuit, *potenter adeo omnes promouet excretiones, veluti aluum laxat, sudores elicit, menses, lochia et praecipue vrinam pellit*, et pergit dein Illustris Auctor, *cum omnia antidota excellentiora contra serpentum ictus, sint pellentia et diuretica, perquam gratissimum nobis esset, si experiri etiam vellent medici nostri, quali et in exstinguendo nostrarum viperarum veneno, et in febribus inflammatoriis curandis, haec esset efficacia* [g]). Ex eodem genere Solanum nigrum quoque in aestimationem venire debet, postquam SPIELMANNUS [h]) docuit, et plantae et baccarum expressum succum,

b) Operum Tom. II. Tent. 2.

c) Commentar. cit. Tom. III. p. 587.

d) In Diss. de Lichene cinereo terrestri Francf. 1762. inprimis p. 14. sq.

e) *Vermischte Abhandl.* III. *Theil* p. 122. et 386.

f) Conf. VOGELII Hist. Mat. Med. p. 193.

g) Amoenit. Vol. II. p. 152. Qui et alio loco Vol. IV. p. 39 scripsit: *Folia Solani in vsum olim collecta fuerunt, minoris autem vtilitatis, sed per aliquot iam annos magno cum leuamine vsurpati fuerunt stipites, tanquam medicamentum sanguinem mundificans, in decoctis mundificantibus et lochia pellentibus, vt et in morbis arthriticis praescripti.* In mucidis pectoris morbis eosdem inprimis vtilissimos laudauit DELIUS *in den Frackischen Samml. I. Band* p. 123.

h) In Diss. de Vegetabilibus venenatis Alsatiae p. 68.

cum, interne datum, nullum morbosum symptoma, largissimam potius vrinae excretionem excitasse. Caryophyllatae altera indigena species, quae palustris siue riualis dicitur, et in vsum adhibita non fuit, in America septentrionali, teste KALMIO i), specificam antifebrilem efficaciam exserit, et quae cum huius radice, ante efflorescentiam effossa, odore destituta, et sapore austero atque adstringente praedita, in Suecia instituit examina BERGIVS, k) hanc quidem virtutem quodammodo limitarunt, attamen nonnunquam et febrem profligasse, et in aliis morbis, diarrhoea chronica, haemorrhagia vteri et s. p. optimum auxilium tulisse, accepimus, ideoque hanc radicem in officinas recipiendam esse, merito desiderauit. Salicaria vulgaris, Ill. de HAEN experientia l), efficaciter medetur diarrhoeae et dysenteriae, quae a laxitate intestinorum originem sumsit, et chronica facta fuit. Sagittaria quoque sagittifolia, quae, teste OSBECKIO m), in China, maximo incolarum commodo, colitur, cuiusque radix inter alimenta refertur, a nobis quoque non negligi, sed ratione virtutum medicarum studiosius disquiri debebit; vt et Callae palustris radix, in paludosis nostris syluis copiose crescens, ex cuius stolonibus, licet, vt congeneris Ari radix, adurentem fere saporem habeant, panem sapidum conficere solent Bothnienses. n) Plures forte, quae efficacia pollent, et inter medicamenta domestica referri possent, nominandae adhuc essent plantae, vt est Persicaria acida, o) Euonymus europaeus, p) Salix pentandra q) et aliae, atque inprimis illae adducen-

i) Vid. Eius *Reisebeschreibung* Tom. II. p. 518.

k) Vid. *Schwed. Acad. Abhandl. XIX. Band* p. 112.

l) Vid. Ratio Medendi P. III. p. 195.

m) *Schwed Acad. Abhandl. XIX. Band* p. 50.

n) Conf. LINNAEI Flora Lapponica p. 250. eademque pro nutriendis immo saginandis suibus laudatur *im Wittenb. Wochenblatte* 1768. p. 249.

o) De qua egit SCHVLZIVS in singulari dissertatione, Hal. 1735. edita.

p) Qui curiosiorem disquisitionem vel ideo desiderare videtur, quia lignum eius, dum tornatur ab artifice, vomitum in eodem excitauit, vt relatum legimus *in den Abhandl. der Schwed. Acad. XXVI. Band* p. 254.

q) De qua erudite disseruit HARTMANNVS, in Diss. de Salice laurea odorata Traiect. ad O. 1769.



ducendae, quae tanquam venena hactenus neglectae, a STOERCKIO autem inter praestantissima et tutissima remedia relatae fuerunt. Verum nondum decisa res est. Plurimi ex Cicutae interno vsu speratum effectum haud quaquam obtinuerunt, alii ab Hyoscyamo, Aconito et Datura loco salutaris virtutis incommoda et noxas obseruarunt, et Colchici Oxymel in diuresi promouenda minus actuosum, et in Hydrope curando cum Armoraciae succo neutiquam comparandum, repetita vice cognouimus. Possemus ad indigenas etiam referre eas, quae vel in hortis nostris fere sponte et sine omni labore luxuriant, vt est Acriuiola, vel, etsi culturam desiderant, vbique tamen locorum occurrunt, vt Aurantium r). Verum cum pauca sint, quae medicum nobilitant, remedia, plura adducere, nostramque vberrimam supellectilem nouis diuitiis augere, nolumus. Ex his, quae annotauimus, abunde patebit, nos commode posse indigenis et vbiuis obuiis, notis cognitisque vti, neque indigere exoticis, pretiosis, atque ignotis; attamen si pharmacopoearum officinas spectamus, et earum reformationem instituimus, haec nobis semper in memoriam redeat regula: Omnia explorate, et quod bonum fuerit, retinete.

r) Cuius folia in infuso et puluere propinata, in insultibus epilepticis refraenandis primum laudauit de HAEN, et nouis experimentis confirmauit LOCHNERVS in obseruatt. practicis circa luem veneream, epilepsiam, etc. Viennae 1762. edit. p. 47.



FACVLTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA WITTEBERGENSI
H. T. DECANVS
GEORGIVS RVDOLPHVS BOEHMER
PHILOS. ET MEDIC. DOCT. ANAT. ET BOTAN
PROF. PVBL. ET PHYSIC. PROVINC
PANEGYRIN MEDICAM
AD D. XXXI AVGVST. A. R. S. CIƆIƆCCLXX
HABENDAM
INDICIT
PRAEMISSA
DE PLANTARVM SVPERFICIE
EXERCIT. TERTIA



DE PLANTARVM SVPERFICIE
EXERCITATIO TERTIA.



Ad externum plantarum habitum, partiumque figuram, colorem, et ſuperficiei proprietates varias medici praecipue reſpexerunt, et ex his internae mixtionis atque virtutis quaſi characteres eruere laborarunt. Hinc orta illa de rerum ſignaturis doctrina, a PORTA, GVDRIO, CROLLIO, CRAVSIO aliisque expoſita atque defenſa, ſequenti autem et recentiori tempore refutata atque neglecta. Neque eandem denuo efferre vel defendere volumus, lubenter potius concedimus, nimium progreſſos fuiſſe Cel. Viros, et ſimilitudines rerum ſaepiſſime vel adſumſiſſe, vbi nullae fuerant, easdemque finxiſſe, vel minus recte vſurpaſſe, et virtutes inde deduxiſſe, quae nullo modo inſunt, et experientia neutiquam ſeſe exerunt. Aſt abuſus ille non omnem tollat vſum. Eſt omnino in externa plantarum facie aliquid, idque multiplex et varium, ex quo internam mixtionem et inde pendentem virtutem deriuare atque cognoſcere, etſi non ſemper, aliquando tamen, poſſumus.

Nonne plantae in fructificatione conuenientes, plerumque etiam viribus conueniunt? vt forte primum expoſuit CAMERARIVS[g]) poſtea HEBEN-

g) In Diſſ. de conuenientia plantarum in fructificatione et viribus, Tubing. 1699.

HEBENSTREITIVS [h]) aliique. Nonne, si et priorem canonem, rationibus et exemplis a GLEDITSCHIO [i]) exhibitis permoti, limitare debeamus, cum LINNAEO [k]) affirmandum? *plantae, quae ordine naturali continentur, etiam virtute propius accedunt, quaeque classe naturali congruunt, etiam viribus quodammodo congruunt.* Verum nec in hanc litem nosmet immiscere nunc volumus, potius ad solam, stricte sic dictam, superficiem regrediamur, eandemque de interna virtute egregios saepe characteres praebere, exemplis quibusdam illustremus.

Et inter illa, quae ad superficiei contemplationem nos quasi inuitare videntur, merito primum locum desiderant glandulae, vel partes hisce analogae, pili et quae reliqua. Habent quidem plures, immo forte omnes plantae in variis partibus, praecipue in foliis, eiusmodi organa, in quibus peculiaris succus elaboratur, nos vero de illis modo nunc dicemus, quae omnium oculis patent, et secretum eiusmodi humorem odore inprimis manifestum reddere solent [l]). Ita e. gr. in Calaminthae speciebus vtraque foliorum iuniorum pagina, nudo oculo perforata apparet, et si lentem adhibemus, in alueolis his glandulas animaduertimus, quae balsamicum humorem continent, a quo ipse plantae odor dependet. Balsamita, quae a medentibus neglecta fuit, praestantissima exinde videtur medicina, quod folia alueolata et glandulosa balsamum exsudant, qui inspissatus luteum colorem et resinae consistentiam adsumit, gratissimumque odorem spirat. In Hyperico non solum perforata apparent folia, sed et calix et corolla guttulas balsamicas adnatas gerunt, siue superficiei plantae peculiares folliculi adhaerent, rubicundo humore repleti, quem per experimenta disquisiuit, eumque gummi Laccae et Sanguini Draconis similem, immo praestantiorem inuenit GADDIVS [m]). Nonne vel ideo Plumbago europaea

h) In Diss. de sensu externo facultatum in plantis iudice, Lips. 1730.

i) Vid. Diss. de Methodo botanica dubio et fallaci virtutum in plantis indice, Francf. 1742.

k) Philos. bot. §. 337. p. 278.

l) Ad hunc, in glandulis plantarum secretum, humorem, et inde deriuandam virtutem curatius, quam alii, respexit TOZZETTIVS in Catal. Plant. Horti Florentini, in quo ea inprimis legi merentur, quae de Saluia, Serpillo aliisque p. 121. 168. 173. et aliis locis passim bene notauit.

m) Vid. *Schwed. Acad. Abhandl.* 24 *Band* p. 115.



ropaea et Fraxinella n) a medicis magis aeſtimandae, quia in priori pili, calici exterius adnati, viſcidas guttulas in apice gerunt, et in poſteriori ſuperior caulis pars, calix et corollae petala, nec non ſtaminum filamenta et piſtillum coloratis cryſtallis ornata inueniuntur. Nonne Siegesbeckia orientalis et propter calicem, pilis glutinoſis auctum, et inprimis ſemina glabra et viſcida, aromaticum odorem ſpirantia, nec non Carpeſium cernuum, vbique in ſuperficie aridum et ſiccum, ſemina vero glaberrima, vnguento balſamico quaſi illita, et tangentium digitos odore gratiſſimo inquinantia, gerens, medicamentorum ſupellectili inſerendae? praecipue cum in hortis noſtris prior ex ſeminibus ſponte luxuriet, altera autem radice facile multiplicari et in noſtro climate conſeruari poſſit. Poſſemus facile plura plantarum exempla recenſere, in quibus puncta glanduloſa adſunt, et quae vel ex his medicatis annumerari deberent, vt eſt Pſoralia pinnata et bituminoſa, Dracocephalum canarienſe, Tagetes et aliae. Verum miſſis his minutiis, quae autem magna ſunt naturae miracula, progrediamur ad aliam ſuperficiei proprietatem, medicorum attentione digniſſimam.

Colores plantarum, earumque partium varii minus certum de interna virtute praebent criterium, et aphoriſmus Ill. LINNAEI o) *color ſcil. pallidus inſipidum, viridis crudum, luteus amarum, ruber acidum, albus dulce, niger ingratum indicat*, plurimas vbique admittit exceptiones. Inprimis autem fallimur, ſi ex plantarum colore praeſagia deſumere vellemus, qui minus conſtans, potius pro culturae vel aetatis differentia variabilis eſſe ſolet. Eiusmodi enim alienus, a viridi diuerſus, color morboſi p) potius, quam naturalis ſtatus index erit, atque hinc ab

n) De qua nuper in ſingulari libello egit, eamque medentibus denuo commendauit Cel. STOERCKIVS.

o) Phil Bot. §. 364. p 286.

p) In hortorum et arborum inprimis cultura, ſignum, a foliorum colore mutato deſumtum, magni omnino eſt momenti. Arbores enim, quae in foecundo ſolo habitant, et laete creſcunt, variegatam foliorum picturam amittunt, dum e contrario illae, quae ex defectu nutritii ſucci, vel ex propria debilitate in incremento deficiunt, eandem retinere ſolent; hinc etiam folia, antequam autumno decidunt, plerumque alienum colorem adſumunt; hinc plantae, floribus variegatis inſtructae, certo modo morboſae dicendae, facile degenerant, propriumque colorem iterum recipiunt. Vid. DU HAMEL *Natur-Geſchichte der Baeume, IV. Buch* p. 136.

ab horticultoribus quidem, non vero a medicis aestimari potest. Vna vero coloris species, quae etiam reliquis constantior esse solet, prorsus negligi a medicis haud debebit. Est hic niger, vel ad nigredinem quodammodo accedens, vix verbis accurate determinandus, qui tristem aspectum, luridamque faciem plantae constituit. Hic inprimis, si flores et fructus spectamus, plerumque suspectae, immo venenatae indolis index esse solet, vt in Belladonna, Hyoscyamo, Cynoglossa, Periploca, Stapelia, Actaea, Coriaria et aliis cognoscimus; Etsi etiam non in omnibus idem valeat, fructusque esculenti aliquando eadem nigredine tincti occurrant, sapienter tamen monuit MANETTI q) *si alicui affertur ignota planta, nigris baccis referta, nunquam ipsam edat, antequam innocuam esse, obseruationibus constet.* Hinc vbique nigrum colorem attentione nostra dignum censeamus, et maculas illas, quae in superficie foliorum secundum naturam in hac vel illa planta inueniuntur, quales Exercit. I. in inferiori superficie Anagallidis et superiori Cyclaminis notauimus, nunquam inspiciamus, quin de singulari plantae virtute simul cogitemus. Praeterea sedulo etiam obseruemus coloris mutationem, quam plantae in exsiccatione subeunt, et si nigredinem adsumunt, omnique arte adhibita in viridi statu conseruari nullo modo possunt, probabili admodum coniectura concludimus ad internam singularem mixtionem, quae eo magis confirmatur, si eiusmodi plantam recentem putrefactioni committimus, et nouam coloris mutationem animaduertimus. Has enim, quae exsiccatae atro colore inficiuntur, plerumque pigmento, coeruleo inprimis, obtinendo inseruire, non solum primo omnium forte LINNAEVS docuit, sed etiam ipsa experientia confirmauit. Melampyrum coeruleum e. gr. in herbariis viuis nunquam naturalem colorem retinet, sed nigredinem semper in omnibus partibus ostendit, per putrefactionem ex eodem tinctoriam materiam coeruleam obtinuit CRONSTEDTIVS r), quae quidem ad praestantiam illius, quae Indigo dicitur, non accedit, attamen ideo artificibus physicisque accepta erit, quia color eius coeruleus non, vt quidem alias euenit, acidis additis, sed potius alcalinis admixtis, mutetur et in rubicundum conuertatur. Ideoque

q) Vid. Regnum Vegetabile, Florent. 1756. edit. p. 56.

r) Vid. *Schwed. Acad. Abhandl. XIX. Band* p. 196.



consilium, quod Ill. van LINNE dedit, hac occasione repetere et commendare volumus, dum scilicet scripsit: [s]) *Cui nouos in regno vegetabili volupe fuerit colores inuestigare, plantas inprimis obseruet, quae colorem siccatae variant, praesertim ubi a botanicis aut humidae carptae, aut tardius chartas inter bibulas arefactae, vt primum fere gradum subierint putredinis; hoc modo siccatae Mercurialis perennis, Rhinanthus crista fiunt cineraceae, flores Loti corniculati et Anthyllidis vulnerariae redduntur coerulei, Orobus niger, Lycopus europaeus, plurimae parasiticae radicum, vt Hypocistis, Cynomorium, Monotropa, Lathraea nigricant.* Simili modo mutatas, et inprimis atro colore tinctas, in herbario construendo, plures animaduertimus plantas, vt est Buchnera africana, Selago corymbosa et sic aliae. Aliae porro superficiei proprietates a medicis considerari debent. Dum sericeam quasi laeuitatem et mollitiem, a villis pilisque tenerrimis ac mollissima lanugine enatam, animaduertimus, non inepte ad virtutem lenientem et emollientem concludere nos posse, Althaea et Verbascum declarant. Plantae, quae vel vrentibus stimulis armatae, vel aculeis, spinis, fortioribusque armis instructae inueniuntur, varium etiam et in re medica et oeconomica vsum exercere possunt. Posteriores sepibus inprimis construendis aptissimam subministrare materiam, scimus omnes; et paralyticas corporis humani partes Vrticis caedere, vel spinosis hamis, glumarum inprimis secalinarum, in ophthalmia, aliisque oculorum morbis palpebras scarificare [t]) solemus, aliasque ex superficie [u]) plantarum vtilitates expectamus. Verum supersedemus plura recensere commoda, potius et noxas videamus, de quibus autem proxime. Hic enim in praesenti subsistendum est. Transeamus nunc ad commendationem

No-

s) In Diss. de Plantis tinctoriis; Vid. Amoenit. Vol. V. p. 320.

t) De qua methodo, inprimis an a WOOLHVSIO inuenta, an potius ab HIPPOCRATE iam tradita, et quaenam planta adhibita fuerit, erudite disputauit Illustris Noster TRILLERVS in peculiari programmate 1754. edit.

u) Conf. HEBENSTREITII Diss. cit. p. 10. vbi dicit: *Tactus iudicium hac in re non negligendum esse, quippe qui ex superficie plantarum aut salium vegetabilium in cutem agendi potentia argumentari conabitur.*



Nobilissimi Doctissimique

DN. FRIDERICI ERDMANNI HEMPELII

Medicinae Candidati Dignissimi,

qui vitae suae atque studiorum rationes sic nobis Ipse exposuit

Ego, Fridericus Erdmann Hempel, *natus sum Pissenae prope Merseburgum Anno cIↃIↃCCXXXVIII. Patrem habui M.* Gottlob August Hempelium, *Pastorem ecclesiae loci natalis meritissimum, matrem* Margaretham Henricam *e Stirpe* Sittigia. *Optimi hi parentes, quos praematura morte ereptos adhuc lugeo, a tenera iuuentute ipsimet, et per varios praeceptores in principiis sanctissimae religionis atque litterarum humaniorum, linguarumque elementis fideliter me imbui curarunt. In illis vero, qui solidioribus scientiis, et quae ad academica studia me praeparare possent, diligenter me erudiuerunt, inprimis nominare atque grate praedicare debeo Duumuiros optime de me meritos M.* Mautrich, *vigilantissimum quondam Schaecherchensis ecclesiae Pastorem, ante aliquot annos pie defunctum, et M.* Scherberum, *Rectorem etiamnum Scholae Skeudicensis. Cum vero artem pharmaceuticam, quam addiceram, Ienae et Lipsiae exercerem, ipsius Medicinae et Praxeos amore captus,* Faselii, Kaltschmidii, *atque Magnif.* Pohlii *praelectionibus anatomicis, physiologicis, et chirurgicis, quantum rerum mearum conditio permitteret, interfui. Wittebergam autem vix accesseram, quo, antequam Albo studiosorum inscriberer, quod factum est An. cIↃIↃCCLXVII. d. XXXI Octobr. sub auspiciis Magnifici* Boehmeri, *fasces Academiae tunc gerente, priuatissimis Magnif.* Langguthii *institutionibus me totum tribui, e cuius ore omnem cursum medicum percepi. Ciuis nunc ipse factus ex Illustris* Trilleri *priuatis sermonibus plurimos percepi fructus,* Langguthii *autem, immortaliter de me meriti Patroni, praelectiones etiam publicas et priuatas, de Pathologia, Therapia generali et speciali, Chirurgia, arte obstetricia, atque Medicina forensi, habitas, frequentaui. Magnif. vero* Boehmerum, *Praeceptorem ad cineres vsque venerandum habui, institutiones pharmaceuticas Poerneri, primarias partes Anatomiae, Osteologiam, Splan-*

chno-



chnologiam, nec non Botanicam, atque Medicinam forenſem explicantem, cuius etiam Diſputatoriis exercitationibus interfui. Excellentiſſimum tandem Boſium *de Venenis et Antidotis diſſerentem, et in Meadii Monita et Praecepta medica commentantem, audiui.*

Ita ſcientia atque peritia inſtructus Facultati noſtrae deſiderium modeſte expoſuit, ſummosque in Arte ſalutari honores petiit. Exploratis ergo antea, in Examine, cum Ipſo inſtituto, Eius profectibus, dignus omnino inuentus eſt, cui aditus ad ſummos honores acquirendos, aperiretur. Quapropter Diſſertationis inauguralis de *Iuſta plantarum indigenarum in Pharmacopoliis reformandis aeſtimatione*, meo ſub praeſidio, d. XXXI. Auguſti publice habendae Ipſi facta eſt copia. Vos autem *Rector Academiae Magnifice, Illuſtriſſime Comes, Perilluſtris Liber Baro, Patres Conſcripti, Fautores, Amici, Generoſiſſimi item ac Nobiliſſimi Commilitones*, qua par eſt, obſeruantia et humanitate rogamus, velitis huic Actui intereſſe, et nouo fauoris et amoris Veſtri documento nos ornare.

P. P. XI. Dom. poſt Feſt. Trinitat. MDCCLXX.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII ACAD. A TYPIS

